

puli. Scavini, tom. I, n. 87, edit. Paris. — Neyraguet, c. 3, inf. 2. — Gousset, n. 87. — Panzuti, n. 20. — Müller, § 84, reg. 4, etc. Ex aliis citari possunt Voit, n. 39 et *de Voto*, n. 587. — Filliuc., Collet, Antoine, etc.

» Secunda sententia negat cum theologis non paucis valde conspicuis. Etenim, aiunt, non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet, ut supra de probabilismo dictum est. Porro non constat de obligatione cui jam probabilius aut probabiliter satisfactum est. Ergo. — Præterea, sicut ex illo principio: « Non est imponenda obligatio, etc., » eruitur non obligari voluntatem humanam a lege cujus nondum probata est existentia, ita necessario consequitur non obligari eandem voluntatem simul ac legis existentia fit incerta; quemadmodum enim obligatio pendet a notitia certa legis, ita etiam continuatio obligationis pendet a continuatione notitiæ ejusdem certæ. Atqui lex cui probabiliter satisfactum est probabiliter jam non existit, adeoque ejus existentia fit incerta. Ergo.

» Quoad axioma quod objicitur: « Non satisfit obligationi certæ per impletionem dubiam, » respondetur verum esse quoties sermo est de dubio practico vel negativo, non

negativo, teneris implere; secus in positivo. » Et lib. IV, n. 290: « In dubio de consuetudine [scilicet derogante legi], possidet præceptum, unde petenda est dispensatio; secus, si probabile sit adesse consuetudinem. » Et rursus eod. lib., n. 112, q. 3, de inhabilitate ad obtinenda beneficia, § *Secunda sententia*, scribit: « Hic non versamur in dubio, sed in opinione probabili... Quando autem probabile est quod... lex abolita sit, tunc cessat præsumptio pro lege, et possidet libertas. » Unde Ant. Ballerini concludit, annot. in locum Gury suprad: « Ergo S. Alphonsus suam opinionem utique mutavit quoad quæstionem specialem de voto, non vero quoad generale principium. Et quidem illa quoad votum resolutio videtur accipienda de eo qui incertus sit, an aliquid ad votum implendum præstiterit necne; non autem de eo qui aliquid fecerit, et incertus sit solum, an illud ad implendam promissionem sufficiat. Nam alioqui centies, imo et millies, S. Alphonsus inculcat, tutissimum in conscientia eum esse qui quoad obligationes probabile iudicium sequatur, cum totum ejus opus morale huic innitatur principio. »

vero si libertati faveat vera et solida probabilitas. Hanc sententiam tenent Suarez, in 3^m part. S. Thomæ, ad q. 90, disp. 22, sect. 9, n. 6. — Roncaglia, *de Voto*, c. 2, q. 4, et tract. II, c. 5, q. 3^o *de Legib.* — Tamburinus, *Meth. conf.*, lib. II, c. 4, n. 10. — Lugo, *de Pœnit.*, disp. 16, n. 59 et 60. — Bonacina, *de Integrit. conf.*, diss. 5, q. 5, sect. 2, punct. 2, § 3. — Lacroix, lib. I, n. 599 et 600. — Salmant., *de Voto*, c. 1, n. 145, etc., etc.

» Adde ex castris probabilioristarum Billuart, *de Integrit. conf.*, § 4, et alios qui dicunt satis esse si legi probalius fuerit satisfactum.

» Negari nequit sententiam hanc probabilitate saltem extrinseca gaudere, cum non pauci nec minoris notæ theologo ei patrocinentur. — Aliunde motiva quibus innititur minime spernenda videntur, » [unde probabilitas etiam intrinseca eruitur].

Ita Gury et ejus commentator P. Henricus Dumas. Sed quid in praxi consulendum? Quamvis in hoc conflictu opinionum videatur quemque eligere posse quod sibi magis arriserit, nostram sententiam aperiemus.

Theoria probabilismi fundatur, ut ex contextu hujus dissertationis abunde patet, præsertim principio sequenti: « Lex dubia non obligat. » Porro, hoc principium merito applicatur dubio de legis existentia et de ejusdem extensione. Num vero etiam dubio de legis vel obligationis cessatione? Plane consultum erit talem extensionem non admittere, cum principium reflexum supra notatum, in hoc sensu intellectum, ne inter probabilistas quidem sit moraliter certum, sed valde dubium, uti constat ex rationibus quæ utrimque opponuntur et nominibus authorum qui in diversas partes abeunt. Hinc affirmandum videtur, non solum in dubio practico, in quo semper contra legem agere nefas est, sed etiam in dubio de cessatione legis antea validæ, legi obediendum esse, donec cessatio per rationes moraliter certas innotescat. In dubio autem utrum obligationi per se certæ jam satisfactum fuerit, dicimus onus satisfactionis adhuc subsistere, nisi forte alio adjuncto principio reflexo ab eodem quis liberetur, v. g.,

principio sequenti : « In **dubio** standum est pro eo pro quo stat **præsumptio** : » eo vel magis cum **dubium** hoc legem objective non **directe** attingat, sed tantum effectum legis, ejusdem scilicet **vim** obligatoriam, ideoque minus proprie hujusmodi casibus **applicari** possit palmare principium : « Lex dubia non obligat. » Ita sentimus cum sapientissimo cardinali Goussset, n. 86 et 87.]

ARTICULUS V

Utrum liceat sequi opinionem probabilem, aut etiam probabilio- rem, relicta tutiore, cum adest obligatio certa finem determinatum obtinendi?

[Nota hanc quæstionem **immerito** a pluribus theologis habitam fuisse ut **pertinentem** ad probabilismum, quorum error ex eo ortus est, quod **hic** intercedit quædam probabilitas ad cuius objectum **non** satis attenderunt.

Quidam probabilistæ, **postquam** systema suum validis rationibus demonstrarunt, **ne** viderentur limites justæ moderationis transgredi, **quasdam** exceptiones, ut aiebant, statuerunt, quibus **principium** probabilismi non licet applicare, v. g., **casus** sacramentorum valide de necessitate conferendorum, obligatio quæ incumbit medico utendi mediis **efficacioribus** ad sanitatem ægredi restituendam, etc. Existimabant, his exceptionibus admissis, theoriam suam **inconcussam** fieri, non considerantes quod, si ex eorum doctrina **fluere**nt consequentiæ falsæ quas rejiciebant in praxi, **principium** ipsum falsitatis convinceretur.

Et reapse **antiprobabilistæ**, his exceptionibus innixi, systema per absurdum **evertere** conabantur, sic ratiocinantes : Principium quod **ducit** ad consecraria falsa, est falsum. Atqui principium **probabilismi** ducit ad consecraria tam evidenter falsa, **ut** ab ipsis probabilistis reprobentur. Ergo principium **istud** est falsum. Et ad minorem probandam casus supra **memoratos** allegabant. Equidem

fatendum esset hanc conclusionem esse fundatam, si casus varii sub præsentis quæstione comprehensi non essent nisi exceptiones sensu supradicto : quod falsum est.

Ut dissipetur hæc confusio, in memoriam revocanda est distinctio quam pluries jam notare debuimus. In systemate probabilismi, agitur exclusive de liceitate actus contra legem dubiam seu probabiliter tantum existentem positi, quo in casu obligatio, quæ est effectus essentialis legis et legi est necessario proportionata et homogœna, est ipsa probabilis seu dubia. Si autem sit vere et solide probabile legem non existere, ex principiis reflexis quorum veritas fuit demonstrata recte pronuntiatur, obligationem esse nullam, quia lex est practice nulla, ita ut agens qui talem legem prætermittit non peccet formaliter. — E contra, in quæstione nunc solvenda, lex præcipiens finem aliquem determinatum obtinendum esse, et quidem mediis efficacibus, non est dubia, sed omnino certa, et ex ea oritur consequenter obligatio pariter certa. Supponitur adesse simul media certo ad finem conducentia et alia quibus non nisi probabiliter idem finis attingi potest, et quæritur an liceat, relictis prioribus, posteriora adhibere : id est, an, cum obligatio certa potest certo impleri, liceat illam probabiliter tantum seu dubie implere.

Ut brevius hæc discrepantia exprimat : probabilista tractat de liceitate actionis contra legem dubiam positæ, et in quæstione præsentis agitur de validitate actus vi legis certæ ponendi. Et hæc duo toto cælo distant. Itaque

Dico : Non licet sequi opinionem probabilem, aut etiam probabilio- rem, relicta tutiore, cum adest obligatio certa finem determinatum obtinendi.

Prob. Cum adest obligatio certa finem determinatum obtinendi, agens tenetur ea adhibere media quibus hunc finem modo quam efficacissimo est assecuturus. Atqui, si media certo efficacia præsto sint, et agens eligat media quorum efficacia est tantum probabilis, finem non assequitur modo quam efficacissimo. Ergo obligationem sibi

impositam non implet. Ergo non licet his mediis uti, sed pars tutior est sequenda.

Colliges inde :

1° In necessariis necessitate mediis ad salutem, tutius est eligendum. Gravissima enim et certissima obligatio cuique imponitur æternam animæ suæ salutem certam faciendi. Atqui media probabiliter tantum efficacia salutem animæ certam non faciunt. Ergo, relictis aliis, non licet hæc media adhibere. Ideo in rebus ad fidem et veram religionem pertinentibus, omni probabilitate posthabita, pars tutior necessario est sequenda. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc propositio, n. 4 : « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione probabili. » Idem dicendum de opinione etiam probabiliori subjective. Ita S. Ligorius, lib. I, n. 43.

2° Minister sacramenti tenetur ejus validitatem certam reddere, tutiorem partem amplectendo, relicta minus tuta probabili et etiam probabiliori. Ratio est, quia honor et reverentia sacramenti illi committuntur, et simul bonum spirituale proximi, qui jus habet ut non privetur gratia qua indiget vel frui cupit. Atqui, aliter agendo, minister exponeret sacramentum periculo nullitatis et proximum periculo damni spiritualis. Hinc merito damnata est ab Innocentio XI propositio sequens, n. 4 : « Non est illicitum, in sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis. » — Excipitur 1° casus necessitatis urgentis, quia, ut fert axioma receptum, sacramenta sunt propter homines, et homini in gravi periculo vitæ constituto sunt ministranda meliori quo fieri potest modo, etiam cum mera probabilitate, imo cum probabilitate tenui et tenuissima de validitate. Unde, baptismus non tantum potest, sed debet conferri brevi morituro cum liquido dubio, si desit nec obtineri possit aqua naturalis. — Excipitur 2° casus in quo, ob necessitatem, præsumitur defectum suppleri ab

Ecclesia; aliquando enim Ecclesia potest et censetur supplere quod desideratur ad valorem sacramenti. Quod quidem in duobus sacramentis potest contingere, scilicet in sacramento poenitentiae, si ex gravi ratione cum jurisdictione dubia aut probabili tantum conferatur, et in sacramento matrimonii, quando celebratur cum dubio impedimento juris ecclesiastici. S. Lig. n. 48-50.

3° Qui ex contractu expresso vel tacito, aut quasi contractu, erga alium obligationem suscepit, tenetur eam certiori et tutiori modo implere. Unde medicus et chirurgus debent adhibere remedia et media efficaciora quæ hic et nunc suppetunt, quia ad hoc ab ægrotis advocantur. S. Lig., n. 44.

4° Cum actio periculosa fit alicui, ab ea abstinendum est, nisi vera necessitas eam excuset, aut bonum publicum eam requirat. Hinc venator feram occidere non debet, si timet ne eodem ictu hominem occidat vel tantum vulneret. Et ipsi est abstinendum, etiamsi probabilius existimet non adesse periculum; si enim revera adsit, probabilitate contraria, etsi majori, non removebitur.]

ARTICULUS VI

De probabilismo compensativo.

[Hunc pseudo-probabilismum exponemus ex scriptis trium authorum qui illud professi sunt, scilicet D. Manier, D. Laloux et Rev. P. Potton¹.

1. Hujus systematis primus author videtur fuisse D. Manier, presbyter Congregationis S. Sulpitii, qui ejus principia posuit in *Compendio philosophiæ ad usum seminariorum*, t. III, *Ethica*, dissert. 3, *de Conscientia*, edit. 1859. — Eadem theoria exponitur, sed minus ordinate, in opere posthumo D. Laloux, ejusdem congregationis presbytero, quod fuit editum anno 1862 a D. Orssand, presbytero diocesis Montispessulani. — Post hos Rev. P. Maria Ambrosius Potton ex ordine Prædicatorum, vulgavit, anno 1874, opus cui titulus *De*

Hoc principium ponit D. Manier, *Ethica, de Conscientia*, cap: 2: « Lex dubia nec omni vi obligatoria caret, nec omnem suam obligandi vim habet, sed plus minusve stricte obligat, prout plus minusve cognoscitur: proinde causa non excusans a lege certo cognita, aliquando potest a lege imperfecte tantum cognita excusare. »

Adverte hic negari absolute principium palmare probabilismi: « Lex dubia non obligat, » cui opponitur contradictorie, ut caput et principium totius novi systematis, propositio sequens: « Lex dubia obligat, » id est, lex dubia est lex vera et sufficienter promulgata; nam hic dubium cognitioni æquiparatur.

Cur enim lex dubia obliget? Respondet idem author: « Quotiescumque lex nobis est omnino cognita, omnem suam obligationem habet relative ad nos; si, e contra, nobis sit omnino incognita, nullam omnino habet obligationem. Ergo, pari ratione, si lex nobis sit cognita, sed imperfecte, aliquam habet obligationem, sed imperfectam. »

Si obligatio ex lege dubia nascens sit imperfecta, inde concludunt simul tres authores, « causam non excusantem a lege certo cognita, aliquando posse a lege imperfecte tantum cognita excusare. »

Ut vero excusetur quis a lege dubia servanda, tria considerari debent: 1° legis natura et gravitas, 2° ejus pro-

theoria probabilitatis, et anno sequenti libellum gallice scriptum sub titulo: *De la théorie du probabilisme*, in quibus ejusdem doctrinæ veritatem demonstrare conatus est, sed potius multiplicibus argumentis, seu extra rem quæsitis, seu non satis concatenatis, eam implicavit et offuscavit. Testatus est hic theologus antecessorum suorum scripta se ignorasse, cum primo suum systema excogitavit, ita ut invenerit ipse quod antea ab aliis fuerat inventum. Hujus systematis inanitatem jam fusissime demonstravimus in diario dicto *La Semaine du clergé*, ab anno 1876 ad 1879. Quia vero hæc doctrina, ut a viris fide dignis asseritur, in quibusdam seminariis Galliarum fuit admissa, nobis nedum opportunum, sed et necessarium visum est eam hic breviter exponere et explodere.

babilitas, 3° ejus difficultas in praxi, seu incommoda quæ ab ejus observatione oriuntur.

His perspectis, sic applicatur principium ad varios gradus probabilitatis: « 1° Si opinio favens libertati sit notabiliter probabilior opinione legi favente, tunc, ordinarie loquendo, sola incommoditas proveniens e privatione libertatis sufficit ad subeundum periculum materialis infractionis. Dicitur, *ordinarie loquendo*, quia si lex, quamvis notabiliter minus probabilis, juris esset naturalis et prohiberet aliquid graviter malum, tunc non videtur quod sufficeret sola hæc incommoditas... Proinde in hoc casu valet *tutorismus mitigatus*, sed cum ea conditione quod culpa quæ committeretur per infractionem legis erit dumtaxat levis. 2° Si opinio favens legi et opinio favens libertati sint æque probabiles, lex vero sit gravissima, nec aliud sit motivum ab ea recedendi quam mera facultas agendi id quod placet, tunc non licet ab observantia legis recedere sine aliquo peccato; et in eo casu valet *probabiliorismus*, cum ea tamen conditione, quod peccatum infractionis erit minus grave quam si infringetur lex certa aut notabiliter probabilior. 3° Si opinio favens legi et opinio favens libertati sint æque probabiles, lex autem sit juris positivi et observatio magnum afferat incommodum, etiamsi incommodum illud non sufficeret ad excusandum a præfata lege, posito quod esset certa, sufficeret ad excusandum ab hac lege incerta... Proinde in hoc casu valeret *æquiprobabilismus*. 4° Tandem, si lex sit notabiliter probabilior quam libertas, sed juris sit positivi et ejus observatio secum afferat aliquod incommodum, quamvis non sufficeret incommodum illud ad excusandum ab observatione legis quæ esset certa, poterit tamen legitime excusare ab ea quæ est dumtaxat notabiliter probabilior; et in eo casu valet *probabilismus benignus*. »

In hoc systemate, 1° lex dubia per se obligat; quia 2° peccatum, non tantum formale, sed materiale mere possibile est semper vitandum; nisi 3° compensatio fiat inter commoda quæ obvenient agenti ex infractione legis et incommoda quæ ex eodem actu oriri debent.

Propter hanc compensationem D. Laloux theoriam istam nomine *Probabilismi compensativi* decoravit, quam denominationem adoptavit magno cum plausu P. Potton.

Queritur nunc quid de hoc novo systemate sit sentiendum.

Dico : Systema probabilismi compensativi omnino rejiciendum est.

*Probat*ur. Illud systema est rejiciendum, quod 1° nititur principiis falsis, 2° contradictorium est, 3° in errorem damnatum inducit, 4° supponit obligationem imaginariam, et 5° cujus usus est impossibilis. Atqui his vitiis laborat probabilismus compensativus. Ergo rejiciendus est.

Prob. 1^a pars minoris. Probabilismus compensativus nititur hoc palmari principio : « Lex dubia obligat. » Atqui supra, art. 3, demonstravimus veritatem propositionis contradictoriæ, scilicet : « Lex dubia non obligat. » Ergo principium palmare novi systematis est falsum. — Probavimus insuper « legem incertam non posse obligationem certam inducere, » et « ante legem, scilicet legem veram seu certam, libertatem hominis possidere ; » quæ duo principia a primo, ut consecutaria necessaria, immediate fluunt. Atqui hæc principia in recentiori theoria negantur et contraria supponuntur. Ergo hæc theoria principiis falsis innititur.

Prob. 2^a pars minoris. 1° Systematis defensores legi dubiæ vim obligandi, quæ veræ legi propria est, attribuunt, ex hoc principio, quod lex quæcumque obligat in quantum cognoscitur. Unde, renovantes errorem in quem impegit P. Patuzzi contra S. Ligorium disputans, dubium cognitioni seu scientiæ æquivalere contendunt ; quod est contradictorium et absurdum, et evertitur a S. Thoma dicente, q. 17 *de Veritate*, a. 3. o : « Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti. » Et S. Doctor, ut supra demonstratum est, per scientiam intelligit notitiam certam. 2° Affirmant quidem peccatum mere materiale semper vitandum esse, et ad hoc in omni casu ad partem tutiorem confugiendum, et

tamen concedunt solum incommodum privationis libertatis, quod agenti sustinendum esset ex observatione legis dubiæ, sufficere ut ei liceat talem legem prætermittere, saltem si materia sit levis. Quomodo stat principium absolutum partis tutioris amplectendæ ? 3° Si tale incommodum liberare possit ab obligatione legis dubiæ, cur non valeret quando lex certo existit, cum hi theologi asserant in utroque casu agentem lege obstringi ? Videant quomodo his laqueis se expedire valeant.

Prob. 3^a pars minoris. Systema illud inducit ad tutiorismum sectandum. Etenim ejus defensores proclamant, legem dubiam semper plus minusve obligare, et si causas excusantes admittant, hoc ipso obligationem statuunt, cum non necesse sit ut agens excusetur ab obligatione non existente. Ergo pars tutior necessario semper sequenda est ad vitandum peccatum in casu legis dubiæ, licet probabilitas major vel etiam maxima libertati faveat, siquidem lex quantumvis incerta semper urget. Et hoc aperte profitetur P. Potton hac propositione, quæ est octava inter duodecim quibus totam doctrinam suam includit : « Data lege cujus existentia est dubia, malum transgressionis materialis probabilis non potest efficaciter anteverti, nisi relinquuntur omnes opiniones probabiles contra legem, et *ad partem tutiorem* confugiatur. » Et concludit in propositione nona : « Ergo, data lege cujus existentia est dubia, oportet semper sequi partem tutiorem. » Atqui tutiorismus fuit reprobatus, cum ab Alexandro VIII damnata est hæc propositio, n. 3 : « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. » Ergo systema prædictum, implicite saltem, sed certissime, hac damnatione involvitur.

Prob. 4^a pars minoris. Non potest dici legem incertam certo obligare, nisi quia, si forte existat, hujus legis transgressio est peccatum, saltem materiale, quod semper vitandum est. Hoc sequitur ex expositione systematis, et a P. Potton positive asseritur in propositione septima : « Si, de facto, lex cujus existentia est mihi dubia realiter existat, agendo contra ejus dispositiones, eam transgre-

dior, saltem materialiter, et hæc transgressio est verum malum. » Et in propositione octava supra relata, pronuntiat, omnes opiniones probabiles contra legem relinquendas esse et ad partem tutiorem confugiendum, ad averendum hoc malum peccati mere materialis. Atqui hæc obligatio gratis supponitur et est quid imaginarium. Ergo. — Prob. min. Hæc obligatio gratis supponitur et est quid imaginarium, si 1^o peccatum materiale, ut tale consideratum, nihil sit in genere moris, et 2^o si de facto impossibile sit omne peccatum materiale vitare. Atqui ita est. Ergo. — Prob. 1^a pars minoris. Peccatum materiale nihil aliud est quam materia peccati, id est actus qui fit peccaminosus, si forma moralis requisita adveniat. Atqui hæc materia, quamdiu forma propria destituitur, nihil est moraliter. Dicit S. Thomas, 1^a p., q. 13, a. 3, ad 3, quod « materia, secundum se, neque esse habet, neque cognoscibilis est. » Et VII *Metaphys.*, lect. 2, docet quod secundum se materia non habet nec *quid*, nec *quantum*, nec aliquid eorum quibus esse determinatur. Unde concludit, 1^a p., q. 66, a. 2, o : « Materia, secundum id quod est, est in potentia ad formam. Oportet ergo quod materia, secundum se considerata, sit in potentia ad formam omnium illorum quorum est materia communis. » Materia quæ, per se, nec quid nec esse habet, per formam fit aliquid et obtinet esse; nam, ut ait Angelicus, *ibid.*, q. 76, a. 5, o, « cum forma non sit propter materiam, sed potius materia propter formam, ex forma oportet rationem accipere quare materia sit talis, et non e converso. » Et hæc principia non tantum materiæ physicæ, sed et materiæ morali applicantur, ut per se patet et satis innuitur ex denominatione *peccati materialis*. Ergo peccatum materiale, quamdiu forma sua privatur, qua non nisi per legem certam et scienter violatam vestitur, nihil est moraliter. — Confirmatur ex eo quod dicit S. Thomas specialiter de peccato, 1^a 2^a, q. 71, a. 6, o : « Peccatum nihil aliud est quam actus humanus malus... Habet autem actus humanus quod sit malus, ex eo quod caret debita commensuratione; omnis autem commensuratio ejuscumque rei attenditur per comparisonem ad

aliquam regulam, a qua si divertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanæ est duplex : una propinqua et homogœna, scilicet humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei. Et ideo Augustinus in definitione peccati posuit duo : unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est *quasi materiale* in peccato, cum dixit : « Dictum, vel factum, vel concupitum; » aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est *quasi formale* in peccato, cum dixit : « Contra legem æternam. » Atqui quod est quasi formale non reperitur in peccato materiali in se spectato, quia hoc ipso quod non est contra legem certam, id est legem veram, non est contra legem æternam. Ergo peccatum materiale nihil est in genere moris. Prob. 2^o pars minoris. Obligatio partem tutiorem semper sequendi, ad peccatum materiale in omni casu vitandum, est imaginaria, si peccatum materiale aliquando permitti debeat et non possit de facto in omni casu vitari. Atqui ita est. Nam 1^o aliquando permitti debet peccatum materiale; quod accidit cum conscientia est perplexa, id est cum aliquis inter duo præcepta incompatibilia constituitur seu constitui existimat, et peccare credit, quamcumque partem eligat. Idem accidit cum actus duplicem effectum est habiturus, unum bonum et alterum in se malum, et agens ex officio talem actum tenetur ponere. 2^o Experientia demonstrat quod S. Scriptura testatur, *Sap.*, ix, 14, scilicet quod *cogitationes mortalium sunt timidæ, et incertæ providentiæ nostræ*. Prudentiores enim non possunt omnia ita prævidere, ut non constituentur in casibus memoratis, ubi, non tantum potest, sed debet permitti peccatum materiale, vel ut inseci aliquam legem non transgrediantur. Ergo ex hoc duplici capite concludendum est obligationem semper peccatum materiale vitandi esse imaginariam.

Prob. 5^a pars minoris. Ut compensatio a defensoribus systematis requisita statui possit, habenda est primo ratio gravitatis legis et ejus probabilitatis, deinde ponderanda sunt motiva quæ dispensare possunt ab ejus

observatione, et postea inspiciendum est an vera et exacta proportio seu æqualitas existat inter bonum quod intendit agens, legis onus declinando, et malum, ut aiunt, peccati materialis quod oriatur ex violatione legis: et si hæc compensatio non adæquate, sed partim tantum fiat, agens peccabit plus minusve graviter, pro ratione differentie¹. Atqui hæc supputationes, ponderationes et comparationes sunt impossibiles. Etenim: 1^o gravitas legis æstimatur ex ejus necessitate aut utilitate; sed lex dubia non apparet ut necessaria, et de ejus utilitate majori vel minori multum disceptari potest, quin gradus præcise determinetur. Aliunde certum est legislatorem rem etiam gravem in se sub levi tantum præcipere aut prohibere posse. Quomodo ergo ejus intentio, sub hoc respectu, dignosci poterit, cum incertum sit eum quidlibet voluisse? 2^o Si probabilitas existentie legis examinetur, sententie super hoc facto mere possibili multum differre possunt. 3^o Si graves difficultates jam exsurgunt

1. Audiamus ipsum P. Potton hoc asserentem in *Theoria probabilitatis*, cap. 6, n. 17: « Si causa excusans, quæ vere existit, non sit tamen plene sufficiens ad compensandum totum damnum quod in periculo transgrediendi materialiter talem legem continetur, tunc aderit peccatum, plus minusve grave, prout causa excusans plus minus a perfecta sufficientia deficit. Et hæc causa excusans quæ perfecte sufficiebat ad excusandum a transgressionem talis legis quæ tali quantitate dubii afficiebatur, jam non plene sufficiet, si existentia hujus legis paulo minus dubia efficiatur, seu paulo probabilior inveniatur. Si tamen defectus levis sit, si compensatio a perfecta æqualitate non multum deficiat, peccatum non erit grave, sed leve. Et quamvis, in praxi, valde difficile sit has variationes perspicere et exacte mensurare, sic tamen res se habet, et hæc consideratio subtilior pertinet ad perfectam præsentis quæstionis analysim. Non enim subito, quasi per ingentem saltum, fit transitus a magno peccato ad plenam licitatem actus, sed sæpius sunt gradus intermedii; sicut, inter vulnus quod in instanti vitam aufert et perfectam corporis integritatem, mediant innumera vulnera, plus minusve gravia aut levia, et quorum unumquodque gradum suum tenet in gravitate, quamvis valde difficile sit, in praxi, gradus inter se propinquos discernere. »

quantum ad legem dubiam objective consideratam, non minus difficile, imo difficilius erit æqua lance ponderare motiva subjectiva dispensationis, quia unusquisque propensus est ad libertatem suam tuendam, et qui iudex in propria causa constituitur, facillime ultra justum et æquum in sui ipsius gratiam interpretatur principium juris: « Odia restringi et favores ampliari convenit. » 4^o Et tamen, ut peccatum vitetur, exacta proportio, id est vera adæquatio, statuenda est inter hæc elementa indeterminata, quæ sive ad legem sive ad subjectum legis respiciunt. Si ex his se expedire numquam valebunt minus docti, in his doctiores impediti in diversissimas opiniones abibunt, et cum, stante hoc dubio practico agendum fuerit, ad partem tutiorem confugiendum erit. Ergo usus probabilismi compensativi impossibilis est. — Hanc objectionem prævidit P. Potton. Non negat applicationem systematis saltem difficillimam esse in praxi, et ingenue respondet, veritatem aut falsitatem alicujus systematis moralis non demonstrari eo quod facile vel difficile in praxim deduci possit. Verum, hæc difficultas est tanta, ut constituat ad minus impossibilitatem moralem, quæ sufficeret ad demonstrandum quod vere impossibile est hanc theoriam rebus moralibus applicare. At probatum est, ut nobis videtur, hanc impossibilitatem non esse tantum moralem, sed absolutam, et inde deducitur a fortiori nostra conclusio.

Probata per partes minore, concludimus: Ergo systema probabilismi compensativi est rejiciendum.

Aliud systema præcedenti affine.

Quibusdam theologis hodiernis, quibus non placet systema probabilismi moderati, visum est rectius solvi quæstionem de obligatione legis dubie per theoriam actus duplicem effectum moraliter contrarium habituri.

Hæc theoria breviter ita exponi potest. Cum actus duplicem effectum habiturus est, unum quidem bonum, qui intenditur, alterum vero malum, qui per se et

proxime prævidetur ex eodem actu secuturus, sed præter intentionem, hic actus illæsa conscientia ponitur, si agenti aliqua lege imponatur, vel si agens jus aut motivum legitimum habeat illum non omittendi : et hæc ratio existit, si bonus effectus præponderet aut saltem æquivaleret malo. Et hoc admittimus cum nostro Billuart, qui veritatem hujus sententiæ demonstravit supra, dissert. I, art. 1, *de voluntario indirecto seu in causa*.

Atqui, inquit prædicti theologi, cum lex est dubia, ex talis legis inobservantia sequitur duplex effectus, unus bonus, qui est saltem usus libertatis vel quodlibet aliud commodum, et alter malus, qui est violatio legis. Ergo illæsa conscientia lex dubia prætermittitur, si legitima ratio id suadeat.

Porro, juxta eosdem, ut ratio legem dubiam prætermittendi legitima reputetur, examinandus est et sedulo pendendus uterque effectus, ut videatur an bonus, qui intenditur, malum, qui permittitur, saltem compenset; qua compensatione facta, agens licite a lege se eximit.

His expositis,

Dico : 1° Theoria actus duplicem effectum habituri, quamvis in se vera, nullam relationem habet cum quæstione de obligatione legis dubiæ. Etenim : 1° in hac theoria, duplex effectus prævidetur ut certus, dum in casu præsentis effectus qui vocatur malus, scilicet malum materiale violationis legis, est tantum possibilis, et aliunde probavimus hoc malum materiale, si forte adsit, nihil omnino esse in genere moris. Porro, nulla comparatio nec compensatio institui potest inter aliquid et nihil. 2° Usus libertatis, qui obtenditur ut effectus bonus, nullimode est effectus actus contra legem dubiam positi, sed est ipsemet actus : unde hic terminus comparationis pariter deficit. 3° Si admitteretur legem dubiam aliquantulum obligare, jam non existeret libertas, in sensu hic intento, siquidem agens lege vere ligaretur.

2° Supponunt theologi supradicti, legem dubiam habere per se vim obligatoriam ; quod falsum est, ut supra probatum fuit.

3° Hoc systema nihil aliud est quam probabilismus compensativus, utpote eodem principio fundatum et eadem conditionem requirens. Iisdem ergo argumentis convellitur.

Hæc sufficiant ad demonstrandam inanitatem hujus novi systematis.]